



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicae Sive Ius Ecclesiasticum

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titulus XVI. De Adulteriis & Stupro.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62649)

reſeſſe, ait S. Auguſtinus relatus *can. Dominus 23. q. 2.* dummodo ejuſmodi ſagittarii ſive balliſtarii iis, quibus utuntur, armis feriendi vim & certitudinem incantationibus aliſque diabolicis artibus non concilient, quod *c. cit.* præcipue caveri, opinantur Barboſa *ibi n. 2.* & Delrio *Diſquiſit. Magic. Lib. 3. cap. 1. q. 4.*

3. Quare *c. cit.* textu memoratus Papa prohibere id potiſſimum voluiſſe videtur; ne balliſtas fabricandi & tractandi ars pro Chriſtiani nominis hoſtibus ad-

verſus fideles, & Catholicos præfertim, exerceatur ſub pœna excommunicationis, per ſententiam iudicis infligendæ, Barboſa *n. 3.* & Gonzalez *n. 4. in fine*, ſicut ſub ejuſdem cenſuræ pœna jure lata, & ſedis Apoſtolicæ abſolutioni reſervata arma aliæque belli instrumenta & adjuvamenta ad infideles, puta Turcas, Saracenos aliõsque paganos deferri prohibentur, *c. Ita quorundam 6. c. Quod olim 12. & Extravag. 1. inter communes de Judaïs, ut Tit. 6. n. 16.* eſt inſinuatum.



TITVLVS XVI.

De Adulteriis & Stupro.

Post homicidium pœnæ ſtatuuntur Luxuriæ ſeu delictis Carnis: ut ſunt Fornicatio, Concubinitus, Stuprum, Adulterium, Inceſtus, Sacrilegium, Raptus & vitium contra Naturam ſive Sodomia, Sylveſter *V. Luxuria q. 1.* De Raptu ageatur ad ſequentem: cætera flagitia ad præſentem Rubricam attingentur veriùs, quàm diſcutiantur.

ARTICVLVS I.

De Fornicatione ſimplici & Concubinitu.

SUMMARIUM.

1. Fornicationis etymon ac deſinitio.
2. Diſiſo in ſimplicem & Concubinitum.

3. Fornicatio ſimplex graviter peccaminosa,
4. Et Divino,
5. Atque Eccleſiaſtico Jure verita eſt.
6. Naturali Jure eam illicitam eſſe, negantium damnata Opinio,
7. Iſtiusque fundamenta:
8. Que ex ſacris Paginaſ,
9. Fine matrimonii,
10. Et Fornicationis effectibus convelluntur.
11. Leges Imperiales eam aliquando tolerarunt, nunquam approbaverunt.
12. Pœna Fornicationis:
13. Cui cum ſoluta conſuetudinem addit Concubinitus:
14. Qui multò magis, quàm fornicatio, prohibitus,
15. Et pœnis, Jure Eccleſiaſtico impoſitis, obnoxius eſt.

Fornicatio,

1. **F**ornicatio, à *Fornicibus*, sub quibus scorta sive meretrices habitare & prostare quondam Romæ consueverunt, sic vocatur, *Isidorus Lib. 10. Origin.* & latè quemcumque extra matrimonium, §. *Cum ergo* post *can. Lex illa, 36. q. 1.* strictè Concupitum sive coitum soluti cum soluta; strictissime autem accepta &, prout à *Stupro* distinguitur, eum solum concubitum significat, qui à soluto fit cum soluta jam deslorata, ut colligitur ex §. *Cum ergo cit. verbis*; *Fornicatio intelligitur in usu viduarum, meretricum vel concubinarum, Haunold. Tom. 6. de I. & L. Tract. 2. n. 198.* quæ, si absque consuetudine, Fornicatio simplex: si verò consuetueta cum aliqua sit Concubinatus hodie vocatur, *Azor p. 3. Instit. Lib. 3. cap. 4. V. Secundò.*

Soluti autem dicuntur mas & foemina, quando liberi sunt ab omni vinculo non solum conjugii; sed etiam cognationis, affinitatis, voti saltem solennis, & alterius impedimenti matrimonialis, ut conjugium inire sine prævia dispensatione valide possent, *Sylvester V. Luxuria, n. 1.* & *Farinacius Prax. Criminal. q. 137. n. 7.*

3. Sic declaratam Fornicationem, etiam simplicem & strictissime sumptam, graviter peccaminosam, Orthodoxorum nemo est, qui in controversiam vocare auit, postquam dogma asserentium, actum carnalem, extra matrimonium; ac proinde etiam ipsam, peccaminosam non esse, tanquam hæreticum reprobavit Concilium Viennense, relatum *Clement. Ad nostrum 3. de Hæreticis* cujus §. *Septimò* tanquam erronea damnatur ac reprobatur *Propositio, Actus carnalis, cum ad hoc natura inclinet. peccatum non est, maxime cum ventatur exercens*, *Glossa ibi V. Non est*, *Navarrus Manual. cap.*

16. pr. *Farinac. q. cit. n. 13.* & ante eum *Clarus §. Fornicatio, n. 1.* rectè asserens, eam sententiam esse omnium *TT.* Quare hoc omnino certum.

Dubium autem est de Jure, ex quo simplici fornicationis malitia & prohibito descendat. Et Divini quidem Juris prohibitione ipsam esse illicitam, Orthodoxorum *DD.* nemo inficiatur, omnique exceptione major testis in suis Epistolis est *S. Gentium Doctor & Apostolus* cum, *Voluntas Dei*, inquit, est *sanctificatio vestra; ut abstinentes vos à fornicatione*, 1. *Thessalonic. cap. 4. v. 3.* &, *Fugite fornicationem &c.* *Qui autem fornicatur, in corpus suum peccat*, 1. *Corinth. cap. 6. v. 18.* cum paulò antè *v. 10.* & *Galat. cap. 5. v. 19.* Fornicationem accensuisset operibus carnis, à Regno Dei excludentibus, primòque inter ista locò recensuisset: quod etiam fecit *Ephes. cap. 5. v. 31.* *Hoc*, inquit, *scitote; quod omnis fornicator & immundus non habet hereditatem in Regno Dei.* Quem de flagitio sensum *Apostolus* hausit ex doctrina ipsius nostri *Servatoris*, inter opera, turpitudine seu malitià mortali hominem coinquinantia, etiam fornicationem referentis, *Matth. cap. 15. v. 19.*

Divino inhaerunt conditores *Juris humani Ecclesiastici, can. Fornicatio 10. dist. 88.* quò relatus *S. Augustinus* ait, *Fornicari hominibus semper*, id est, ullo casu, non licet, *Glossa in can. & V. cit. can. Nubendi, 27. q. 1. can. Nemo 4. can. Meretrices 11. &c. 32. q. 4. & Clement. cit. junctà Glossà V. Non est.*

An fornicationis simplicis & aliorum actuum carnalium extra matrimonium exercitorum inhonestas & prohibito ex hætenus relato Positivo duntaxat, vel ex ipso Naturali Jure descendat, nonnulli carni suæ plus æquo indulgentes

gentes in dubium vocavere; idque contra D. Thomam 2. 2. q. 154. art. 1. & ceterorum DD. Orthodoxorum torrentem inficiantibus aliquod Durandus in 4. dist. 33. q. 2. n. 10. & operosum omnino, sed vanum, patrocinium præstitere Caramuel Tom. 1. *Fundament. Theolog. fund.* 12. n. 541. & in *Apologia pro ipso contra Borgiam* Franc. Verde q. 3. & 4. operæ enim suæ pretium ac præmium aliud non retulere quam sedis Apostolicæ, quæ Fidei ac Veritatis Magistra Morumque infallibilis Regula est, justam condemnationem; cum *Decretis*, S. D. Innocentii P. XI. auctoritate 2. Martii 1679. publicatò, inter alias scandalosas & in praxi perniciosas 48. locò reprobata & prohibita fuerit hæc utriusque Propositio: *Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta; ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.*

7. Lubricæ huic & perniciosæ assertioni ante condemnationem Apostolicam veri speciem aliquam conciliare conati ejus Autores sunt Primò ex illo Domini Dei Prophetæ præcipientis, *Sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum*, Olee *cap. 1. v. 2.* ex his enim verbis rectè argui videtur, si à Prophetâ procreandi futuri erant filii fornicationum, ipsi filiorum non ex conjugio, sed extra hoc; ac proinde ex fornicatione generatio mandata fuit, argumentò sanè luculentò, carnalem viri cum muliere, nuptiali vinculo ipsi non alligata, copulationem divina dispensatione licitam reddi posse &, quod consecaneum est; eam non intrinsicè malam & illicitam esse Jure naturali; quòd hoc ulli etiam divinæ dispensationi obnoxium non sit, per tradita *Lib. 1. tit. 2. n. 154.* Secundo; quòd non appareat ulla ratio, quæ viri

cum fœmina soluta coitum ex se & intrinsicè malum; atque idcirco, lege Dei Positivâ seclusâ, illicitum esse, persuadeat. Tertiò; quòd eadem passionis ac voluptatis vehementia in coitu viri cum fœmina sit, sive ista sit soluta, sive ligata vinculo nuptiali, & cum utraque habitus eisdem pariat effectus; ac proinde coitum cum neutra vel cum utraque intrinsicè malum &, Naturali Jure spectato, illicitum esse, sit necesse.

Sed fundamenta hæc leviora sunt; 8. quàm ut reprobata illam assertionem & Naturalem fornicationis honestatem verisimilem reddant.

Et ex illo quidem Olee mandato desumptum, quàm primo incuitu speciosum, tam exile vanumque est, si sacri textus verba attendantur; quia vi mandati Divini Olee *Mulierem fornicationum*, id est, fornicationibus deditam, non in concubinam; sed, ut à Deo jussum erat, in uxorem sumpsit: ex eaque genuit *Filios Fornicationum*, sic dictos, non; quòd nascituri ex fornicatione; cum ex matrimonio justo eos Propheta susceperit; sed; quòd secuturi essent exemplum matris & istius instar in fornicationes futuri proclives; cum nihil tam frequens & naturale sit, quàm parentum vitia & proclivitates in filios diffundi, & insensatae matris nequissimos filios esse, Sapiens *cap. 3. v. 12.* ut cum Interpp. aliis Cornelius à Lapide *in cit. cap. 1. v. 2.* adnotavit. Accedit; quòd Jure naturali spectatò, intrinsicè malus sit ille tantum coitus viri cum fœmina, qui sit invitò corporis fœminei dominò, scilicet Deo, qui supremus & absolutus humani corporis cujuscunque dominus est; atque idcirco, si viro cum muliere coeundi ex eaque liberos procreandi facultatem concedat, illius cum ista congressus non fornicarius; sed licitus justusque est; quòd tale fa-

talem facultatem dans Dominus Deus, ad conjunctionem matrimonialem solummodo temporaneam dispensasse, intelligatur: sicut ad hujusmodi temporaneum conjugium cum veteribus Judæis dispensasse intelligitur hoc ipso; quod eis concesserit libellum Repudii, cujus scripti oblatione nuptiale vinculum verè dissolvebatur; ut eò copulatorum uterque quasi liber ac solutus novum matrimonium inire cum alia aliòve posset, ut hanc rem idem Cornel. *in cit. v. 2. §. Censet ergo, explicat cum S. Thoma q. cit. art. 2. ad 2.*

Non majore vi pollet alterum reprobata assertionis fundamentum; cum, fornicationem simplicem Positivò quocunque anteriori; ac proinde Naturali Jure inhonestam & illicitam esse, non una ratio evincat. Et

9. Primò quidem id satis exploratum inde est; quòd supra relatis Christi Domini Servatoris nostri & S. Gentium Doctoris sententiis Fornicatio & omnis immunditia carnalis non primùm vetetur, sed tanquam actus ob turpitudinem & inhonestatem suam maximopere vitandus proponatur, & Matth. *cap. 15. v. 19. & 1. ad Corinth. cap. 6. v. 10.* adnumeretur & comparetur Idolorum servituti, veneficiis, furto, homicidio & aliis operibus peccaminosis, quæ in omnium sententia ex se inhonesta malaque intrinsicè sunt, & ab hæreditate Regni Dei exclusionem æternæque pœnæ reatum inducunt.

Secundò; quia, si fornicatio & quicunque actus carnales extra matrimonium exerciti moraliter mali non essent intrinsicè, sed ab extrinseco duntaxat, sive Positivâ lege Dei, eos prohibentis, Gentes infideles, quibus Divina lex prædicata non fuit, eis indulgentes non peccassent; cum, seclusâ legis Divinæ præ-

dicazione, eorum malitiæ noticiam non habuissent hoc ipso; quòd, eos malos & inhonestos esse, Jus & ratio naturalis non dictasset, & in eorum potestate non fuerit; ac proinde ipsis imputari non potuerit; quòd Divinæ legis prohibitio per prædicationem ipsis non fuerit intimata. Atqui Gentiles fornicationi & aliis actibus carnalibus extra matrimonium indulgentes peccarunt, ex mente S. Gentium Doctoris ad Romanos *cap. 1. cujus v. 18.* eos, quòd Deum, quem per ea, quæ facta sunt, cognoverant, non glorificârunt, traditos ait *In reprobam sensum, ut facerent ea, quæ non conveniunt creaturæ rationali, & replerentur omni iniquitate, fornicatione, avaritiâ, invidiâ, homicidiò & aliis, quæ enumerat, peccatis, indubitato argumentò, sicut cætera, quæ enumerat, sic & fornicationem contrariam esse dictamini rectæ rationis & Juri naturali.*

Tertiò; quia fornicatio simplex ex se adversatur à natura intentæ rectæ educationi prolis; quia, ut S. Thomas *cit. q. 154. art. 1.* advertit, ad istam & humani generis ordinatam propagationem à Deo, ut Author naturæ est, in voluptatis adhuc innocentis Paradiso institutum est conjugium, quò parentes mutuo perpetuòque adstringerentur ad susceptæ prolis rectam educationem institutionemque, & ad pendentem ab ista humanarum societatum ac Rerum publicarum felicitatem conservandam & promovendam. Quam Naturæ Authoris ordinationem & humani generis propagandi modum cum contemnant, qui, prætermisso conjugii vinculo, carnaliter copulantur, utique gravis culpæ contrahunt reatum.

Neque hanc rationem convellit; quòd, ne ex fornicatione suscepta proles pravè educetur, singulari parentum providentiâ

videntiā caveri queat & aliquando soleat; quia naturalis illius inhonestas non fundatur in eo; quod illegitimo concubitu procreatæ prolis prava educatio semper sequatur: sed in pravæ educationis periculo generali; cum, licet in uno alterove & pluribus casibus particularibus singulari parentum providentiâ eveniat contrarium, generale tamen periculum sit malæ educationis institutionisque Reipublicæ inutilis ac damnosæ: & bonæ educationi institutionique prolis magis accommodata sit ejus procreatio facta modo, ab authore Naturæ pro humani generis propagatione publicè utili, ordinatò.

II. Quartò; quia alienus à recta ratione & intrinsecè malus est actus, qui mentem sive intellectum & voluntatem, præcipuas duas hominis potentias, per se hebetat, impedit & inordinatas reddit in actibus suis; cum utique ab intrinseco malo sit, quòd per se malos effectus producit, juxta illud Servatoris, *Non potest arbor mala bonos fructus facere: neque arbor bona malos fructus facere*, Matth. cap. 7. v. 18. fornicatio autem & quicumque coitus viri cum fœmina aliò, quàm à Naturæ conditore Deo ad humani generis conservationem multiplicationemque ordinatò modò, factus præcipuas illas hominis potentias intellectum ac voluntatem hebetat, impeditque & inordinatas in actibus suis reddit; cum per se ex eo oriatur *Cacitas mentis, inconsideratio, precipitatio, inconstantia, amor sui, tadium Dei, affectus presentis seculi, horror vel desperatio futuri*: quas octò Luxuriæ filias cum S. Gregorio Moral. cap. 31. relatis verbis recenset S. Doctor Angelicus 2. 2. q. 152. art. 5. & quomodo ex actibus luxuriosis orientur art. cit. in c. Pulchrè declarat subjectò discursu: *Quando inferiores potentia ve-*

bementer afficiuntur ad sua objecta, consequens est, ut superiores vires impediuntur & deordinentur in suis actibus: per vitium autem Luxuriæ maxime appetitus inferior, scilicet concupiscibilis, vehementer intendit suo objecto, scilicet delectabili; & ideo consequens est, quòd per Luxuriam maxime superiores vires deordinentur, scilicet Ratio & Voluntas. Ratio quidem sive intellectus; quia passionis & delectationis carnalis vehementia Imprimis obcæcat & impedit *Intelligentiam, qua apprehendit finem ut bonum, juxta illud, Species decipit te & concupiscentia subvertit cor tuum*, Daniel. cap. 17. v. 52. Deinde subtrahit *Consilium de his, que sunt agenda propter finem*; quia libidinofus amor neque consilium neque modum ullum habet: *Que res autem in se neque consilium neque modum ullum habet, ea consilium regere non potest*, ait Terentius in *Eunucho*. Præterea aufert considerationem & prudens *Judicium de agenda*, juxta illud de duobus senibus libidine sua infatuatis, *Everterunt sensum suum, ut non recordarentur judiciorum justorum*, Daniel. cap. cit. v. 9. Demum mentis inconstantiam affert impetu suo impediendò *Præceptum rationis de agendo*; ne exequatur id, quod decrevit esse faciendum: quod S. Doctor firmat exemplò ejus, quem, ne recedat ab amica, *Unâ falsâ lachrymula restringi*, Terentius l. cit. advertit. Voluntas verò delectationis carnalis vehementiâ deordinatur; quia luxuriosis actibus inducitur & augetur amor inordinatus sui, quærentis pro fine delectationem, tadium Dei, eam delectationem impediens, amor presentis seculi pro delectatione illa non amittenda, & horror futuri; *Quia, dum nimis detinetur carnalibus, non curat pervenire ad spirituales, sed fastidit.*

A a z

Neque

Neque istius rationis vim enervat aut fornicationis inhonestatem minuit vel tollit argumentum, desumptum ab honestate coitus viri cum foemina conjugata; quia alia istius quam coitus cum soluta ratio est; cum, ne ex vehementia voluptatis & delectationis carnalis cum conjugata iidem effectus sequantur, Naturæ Author dederit auxilia naturalia, quorum vi conjugati intra fines matrimonii se contineant &, qui per se ex fornicaria sequuntur effectus ex ipsorum carnali commercio per se non orientur. Quibus auxiliis naturalibus supernaturalia multoque efficaciora suppetunt conjugatis fidelibus; cum enim istorum matrimonium à Christo Domino elevatum sit ad dignitatem Sacramenti, ipsis præter naturalia etiam gratia sanctificans aliaque spiritualia & matrimonii fini valde accommodata auxilia conferuntur, hisque voluptatis vehementia ita refrenatur: *ut ad nihil relaxetur illicitum, sed generationi tantum regenerandorum serviat filiorum*, ut loquitur S. Augustinus *Lib. 4. contra Julianum cap. 1.* Aliis argumentis in S. Pauli Epistolis & ratione fundatis, Fornicationem simplicem intrinsecè malam & quocunque Positivo antiquiori Jure vetitam esse, latè ostendit Joan. Cardenas *Crisis Theolog. Dissert. 39. à cap. 2. § n. 16.*

12. Neque ad honestatis naturalis speciem fornicationi conciliandam quidquam facit; quòd ea permissa videatur *l. Si uxor 13. §. 2. ff. ad L. Jul. de Adult. & apertius l. 1. l. In concubinato 3. Sc. ff. de Concubinis*, partim; quia legibus etiam Imperialibus fornicatio non approbata: sed impunita duntaxat, & ad vitanda graviora carnis flagitia, ut hodie alicubi lupanaria, præcisè tolerata est: partim verò; quia *ll. cit.* urpote foventes peccatum à sacris Canonibus *cit. n. 5.*

clarè sunt correctæ. Imò hodie, præsertim in Germania nostra & aliis provinciis, honestatis laude florentibus, à Magistratu Seculari laici, fornicationem committentes, arbitrariè & variè juxta cujusque loci statuta vel receptam consuetudinem plecti solent, teste *cit. Haunold. n. 199.* & Lud. Engel *ad hanc Rubric. n. 19.*

In foro etiam Ecclesiastico clerici, præsertim in sacris jam constituti & sacerdotes, ob fornicationem arbitriò judicis & pro locorum ac circumstantiarum varietate mitius vel severius, aliquando incarcerari, aliquando pecuniâ multari, aliquando ab officio suspendi solent: & aliquando, si delictum notorium aut valde scandalosum, & clericus incorrigibilis sit, depositione ac beneficiorum privatione plectuntur; itaque plecti eos posse, cum Panormit. *in c. At si clerici 4. de Judic. n. 35.* tradit Farinacius *cit. q. 137. n. 17.*

13. Concubinatus est, cum quis mulierem solutam, de Civili quidem, domi suæ locò uxoris, *l. 1. §. 1. Sc. ff. de Concubina*: Canonico autem Jure, sive in sua sive in aliena domo retinet, cum eaque carnale commercium habere consuevit, Diaz *Pract. Criminal. cap. 43. Azor p. 3. Institut. Lib. 3. cap. 5. §. Quare & cit. Farinac. q. 138. n. 12. Solutam*, inquam; quia, si mulier conjugata, sanguine vel affinitate juncta, sacra Deo: aut, si ista quidem soluta, vir autem conjugii aut solennis voti vinculo ligatus sit, inter eos initum & frequentatum carnale commercium, concubinatui, adulterii, incestus, sacrilegii aut alterius criminis malitiam superaddit, Clarus §. *Fornicatio, n. 10. & Azor V. cit.*

14. Porro concubinatus cum muliere etiam soluta illicitus, & non Ecclesiastico duntaxat, *can. Nemo cit. can. Dicat,*

32. q. 4. Sc. sed Divino etiam ac Naturali Jure prohibitus est per rationem & textus allatos contra simplicem fornicationem: quâ quia concubinitus longiori tempore durat, utique gravius, quàm illa, est delictum, per text. §. *Audite*, post *can. Christiano* 3. dist. 34. *Sc. arg. c. fin. de Consuetud.*

Neque obstat *can. Is qui 2. Sc. dist. cit.* Christianis uxorem aut concubinam permittens; quia eo textu nomine concubina venit mulier non omnino soluta: sed cum qua matrimonium per verba quidem de presenti, sed cum minori aut sine Juris solemnitate & legalibus instrumentis initum fuit, Archidiacon. & Turrecremata in *can. cit. Sc. can. Christiano* 3. dist. cit. & Tholosan. *Syntag. Lib. 10. cap. 1. n. 16.* quo sensu Agar, licet etiam ipsa vera Abrahamæ uxor esset, nihilominus, quòd minori solemnitate quàm principalis uxor ducta esset, concubina vocatur perinde, ut aliæ mulieres, quas veteres Patriarchæ ex dispensatione Dei, *c. Gaudemus 8. de Divortio* præter principales uxores habuerunt, ut cum SS. Augustino *Lib. de Bono conjug. cap. 9. 13. & 15.* Ambrosio *de Abraham Lib. 1. cap. 4.* & aliis PP. advertunt Bellarminus *Lib. 1. de Matrim. cap. 11.* & Barbosa in *can. cit. n. 2.*

15. Quantumvis autem Concubinitus cum soluta legibus antiquis esset impunitus, hodie tamen in foro etiam Seculari pro meritis, & gravius quàm simplex fornicatio, ferè tamen arbitrariè punitur, Engel *ad hanc Rubr. n. 22.* Jure Canonico veteri eundem in laicis arbitrariè poenâ coercitum, testis est Clarus §. *cit. n. 8.* in clericis autem concubinos quâ ratione prisco & moderno, præsertim Ecclesiæ, Jure procedendum sit, *Lib. 3. Tit. 2. à n. 5.* est explicatum.

(O)

ARTICULUS II.

De Stupro.

SUMMARIUM.

16. Hoc committitur in Virginem aut viduam aliâs honestam.
17. Consentiens illatum non continet injuriam:
18. Quam tamen continet Raptus.
19. Pene stupri constituta Civili,
20. Et Canonico Jure,
21. Ad corruptam ducendam vel dotandam obligante:
22. Nisi ea fuerit vitæ inhoneſta,
23. Vel sponte consenserit in sui violationem,
24. Vel pro ista acceperit pretium.
25. Corrupta, si nuptias respuat, dotanda est.
26. Nuptiarum promissione decepta ducenda:
27. Aliâs ducere vel dotare post judicis sententiam:
28. Ante hanc autem damna illata reparare stuprator tenetur,
29. Præter poenas pro modo excessus insignendas.
30. De obligatione alendi prolem illegitimam VV.
31. Et RR. DD. verior Opinio,
32. Matrem ad lactis: ad cætera alimenta patrem,
33. Et in istius defectum illam Sc. obligans,
34. Cùm dubius est pater, spectandus favor prolis,
35. Aut alendi obligatio dividenda est.

Suprum, latè sumptum, est Illicitus 16. concubitus cum Virgine aut vidua honestè vivente, §. *Item lex 4. Instit. de Publ. jud. l. Inter 6. ff. imò etiam*

A a 3

etiam cum puero, *l. Stuprum 34. ff. ad L. Jul. de Adult.* Propriè verò &, ut *præsenti Rubricâ*, strictè sumptum, est Illicita Virginis defloratio, non præcedente pactione conjugali, secundùm Gratianum §. *Cùm ergo, V. Stuprum* post *can. Lex illa 36. q. 1.* & S. Thomam 2. 2. q. 154. *art. 6.* Quæ defloratio si per vim, fraudem aut etiam metum injustè incussum extorqueatur, præter simplicis fornicationis, etiam injustitiæ malitiam continet, Sanchez *Lib. 7. de Matrim. disp. 14. n. 9.* & Pirhing *ad hanc Rubr. n. 37.*

17. An etiam, si inferatur virgini volenti, sive in sui violationem sponte ac liberè consentienti, non levis quidem controversia inter DD. mihi tamen vera semper visa est Opinio Soti 4. *disp. 18. q. 2. art. 4.* Lessii *Lib. 2. de J. & J. cap. 10. n. 2. & 8.* Sanchez *disp. cit. n. 5.* & Zæthii *ad hanc Rubr. n. 14.* negantium, id malitiam Injustitiæ continere. Ratio est; quia tali casu nulla injuria inferitur ipsi virgini, nulla ejus proli & parentibus. Virgini; quia liberè ac sponte consentit; atque idcirco de eâ procedunt *l. 1. §. 5. in fine. ff. de Injuriis, Reg. Nemo 145. ff. & Reg. Scienti 28. in 6.* Proli; quia nunquam nascitura juris non est capax, & nondum nata non habet jus, cujus violatione injustitia per stuprum committatur, præsertim cùm ipsi melius sit, sic esse, quàm nunquam esse. Neque refert; quòd stuprum repugnet bonæ ejus educationi; quia propter hanc malitiam Castitati, & non magis quàm simplex fornicatio, repugnat. Parentibus; quia puella habet liberum usum membrorum & corporis sui; ut eò ad carnalem generationem vel nunquam vel modò legitimò uti, vel etiam illegitimò abuti sine aliorum injuria possit; etsi enim hoc faciendò graviter peccet contra Castitatem, sicut, qui ex dolio suo intemperanter bibit, contra Sobrietatem; at-

que insuper etiam contra Pietatem in parentes, probabilis tamen non peccat contra Justitiam in istos; quia hi non majus jus habent in corpus filix incorruptæ, quàm corruptæ.

Neque in contrarium facit; quòd 18. parentibus injuria inferatur per raptum puellæ etiam consentientis; quia isto violatur jus patriæ potestatis; ideòque patri proprio nomine competit actio, *l. 1. §. 1. cit.* non etiam filix, sponte consentienti in sui violationem.

Porro stupri, sine vi commissi, pœna 19. Jure Civili, si stuprator honestæ, publicatio dimidiæ partis bonorum: si autem villioris conditionis homo sit, corporis coercitio seu verberatio est cum relegatione, §. *Item lex 4. V. Pœnâ, Instit. de Publ. jud. Clarus §. Stuprâ n. 3. sub finè,* & Farin. *Prax. Criminal. q. 147. n. 6.* Si verò per violentiam commissum sit, capitis sive mortis pœna decreta est, *l. 1. §. fin. ff. de Extraord. Crim. & Ordinât. Carolina art. 119. Glossa in c. Pervenit 2. V. Plebendus & ibi Panormit. n. 5.* præsertim, si valde honestæ & pudicæ sceminx, vel puellæ nondum maturæ, aut etiam interveniente raptu corruptæ illatum fuit, Farinac. *q. cit. n. 22. 26. & 37.*

Eandem pœnam stupratori, qui blanditiis, persuasionibus, promissionibus ac muneribus aliisque fraudibus & fallaciis puellam ad flagitium induxit, infligendam, censuit Baiardus ad Clarum §. *Stuprum n. 38.* Alii tamen, pœna gladii locum esse, negant, ubi vis major seu violenta coactio non intervenit; quòd aliàs capitale supplicium fere semper esset infligendum; cùm ferè semper interveniant fallaces persuasiones ac promissiones, Farinac. *q. cit. n. 30.* pro se praxin allegans, Tuschus *Prætic. V. Stuprum concl. 710. n. 3.* & Haunold, *Tom. 5. de J. & J. tract. 2. n. 584.*

Jure ve-

20. Jure veterum Canonum virginis stuprator clericus depositione ab officio puniebatur, *can. Lator 2. q. 7.* cum dotatione puellæ stuprator violatæ, *c. 1. hanc Rubr.* Hodie autem, præter dotis præstationem, arbitriò judicis aliquando pecuniariâ, aliquando incarcerationis, aliquando suspensionis vel depositionis poenâ ejusmodi clericos plecti, cum Menochio *de Arbitr. Jud. casu 288. n. 6.* tradunt *cit. Farinac. n. 65.* & Vallensis *ad hanc Rubr. §. 5. n. 2.* Laicus verò corruptam ducere: vel, si hanc pater dare renuerit, dotare tenetur, *c. 1. & c. Pervenit. 2.* quorum textuum Canonicorum dispositionem ex generali consuetudine in Foro etiam Seculari, non solum in territorio temporali Papæ, ut *in c. Pervenit. cit.* cum Hostiens. *n. 3.* & Panormit. *n. 2.* vult Fagnanus *n. 1.* sed ferè in toto Imperio Romano observari, cum Salyceto *in l. Eum qui 18. C. ad L. Jul. de Adult. n. 3.* testantur Clarus *cit. n. 3. V. Sed quidquid sit & Farinac. n. 113.* Unde

21. Dubium oritur primò, an ergo stuprator puellam ducens non teneatur eam dotare. Ratio dubitandi est, quia ex una, *c. 1. cit. & Exodi cap. 22. V. 16.* unde illius textus desumptus est, eam dotare simul & in uxorem habere jubetur: ex altera verò parte, dici nequit; quòd *cit. c. 1.* dispositio limitata & restricta sit decisione *c. Pervenit 2.* cum enim istius Constitutio conditorem habeat Gregorium I. seu Magnum: & multò antè, quàm Divina dispositio veteris Testamenti (quæ, utpote Judicialis, per mortem Christi expirarat, *c. Translatio 3. de Constit.*) à Gregorio IX. resuscitata in Jus Ecclesiasticum transferretur, non potuit hanc, scilicet *c. 1. cit.* tanquam posteriorem, quatenus Christianos obligat, limitare, *arg. l. Sed & posteriores 28. ff. de LL. §. c. 1. de Constitur. in 6.*

Sed, licet propter hanc rationem stuprator de rigore Juris puellam dotare, hoc est, in augmentum dotis, ut in veteri Lege viri solebant, aliquid assignare: atque insuper, si poenas Canonicas, scilicet castigationem corporis, excommunicationem minorem & detractionem in Monasterium *c. Pervenit cit. decretas,* evitare vellet, eam ducere teneretur, ut *in c. cit.* notant Fagnanus *n. 2.* & Gonzalez *n. 8.* ex consuetudine tamen stuprator non cogitur, nisi alternativè ad puellam corruptam vel ducendam, vel si hoc renuit, dotem illi juxta qualitatem suæ personæ, sive quantum ejusmodi conditionis virginis in dotem accipere solent, constituendam, ut post Clarum *cit. n. 3.* Salycetum *in l. Eum qui 18. C. ad L. Jul. cit. n. 3.* Gomez *in l. Tauri 80. n. 6.* & Farinac. *q. cit. n. 113.* iidem docent: dummodo tamen puella stuprum passa, licet pauper, vitæ sit honestæ; aliàs enim stuprator minori poenâ arbitriò judicis plectendus foret: quod, præter alios, addunt *cit. Clarus & Fagnanus n. 4.* Unde corrui ratio dubitandi; quia magister usus *c. cit.* dispositionem hodie disjunctivè exaudiendam docet, juxta *l. Sape 53. ff. de V. S.*

Dubium secundò est, an puellam corruptam ducere vel dotare teneatur, quando illa, vi, fraude aut metu non interveniente, in sui violationem liberè consentit. Non teneri verius censent Lessius *Lib. 2. de J. & J. cap. 10. n. 9.* & Molina *Tract. 3. de J. & J. disp. 106. n. 10.* eâ persuasione; quòd *c. 1. & c. Pervenit 2. cit.* ad id tantum obligetur, qui virginem *Seduxit* vel *Decepit*; cujusmodi non est, cui virgo se obtulit, aut liberè consentit; quia talis injuriam passa dici non potest; cum scienti & consentienti non fiat injuria, *l. Nemo 145. ff. §. c. Scienti 28. de R. J. in 6.* in cujus per seductionem

ductionem, deceptionemque illatae compensationem stupratam ducendi vel dotandi obligatio est inducta, Haunold. *de J. & J. Tom. 6. trañ. 2. n. 584.*

24. Ob eandem causam dotare vel ducere puellam corruptam non tenetur, qui eum ea de certo pretio convenit; quia talis decepta & injuriam passa non est, Haunold. *l. cit. n. 591.* qui tamen *n. 585.* rectè advertit, casu, quò seductionem aut deceptionem intervenisse, stuprator negaret & affirmaret puella, ex eo, quod frequentius contingit, præsumptionem fore pro puella, eique illum, si contrarium non probet, condemnandum.

25. Dubium tertio est, an puellam corruptam dotare etiam teneatur, si hæc ipsum ducere renuat. Negativam tenent Boich. *in c. Pervenit cit. n. 3.* & Haunold. *Trañ. cit. n. 590.* quòd corruptam ducere vel dotare sit in ipsius electione. Affirmativam contra defendunt *citt.* Clarus *n. 3.* Salycetus *in l. Eum qui cit. n. 3.* Gomez *in l. Tauri cit. n. 6.* Menoch. *de Arbitr. casu 228. n. 19.* Farinac. *cit. q. 147. n. 105.* & Gonzalez *in c. 1. hic n. 7.* eà motivatione; quòd, cum, dissentiente patre, de cujus conjunctione non agitur, detur obligatio dotandi, ista multò magis detur, dissentiente puella, de cujus conjunctione agitur, & quæ stupro illato injuriam passa est ac detrimentum. Quæ posterior sententia eo saltem casu locum habet, quo recusandi cum stupratore matrimonii justam habet causam, quod Haunoldus *l. cit.* haud agrè concedit.

Multò magis puellam, qui corrupta, dotare tenetur casu, quo ipse hanc ducere ligaminis, sacri Ordinis, aliòve impedimento prohibetur, *citt.* Molina *disp. 104. n. 9.* cujus doctrina indubitatè procedit casu, quo decepta, stupratorem ad matrimonium secum incedendum inhabilem esse, ignoravit; Haunoldus *ibid. n. 589.* con-

trarium sentiens casu, quò stuprata hòs non ignoravit. Unde stuprator electionem solummodo habet casu, quò in conjugium puella & istius pater consentit; ne, si hi alieni sint à conjugio, ipse à poena sit immunis, Gonzalez *n. 7. cit.*

Nequaquam autem electio locum 25. habet casu, quo puella in sui violationem consensisset spe matrimonii à stupratore sibi promissi; tum enim, si promissio seria, eam determinatè ducere tenetur; si autem ficta & simulata tantum fuisset, in foro interno probabilìus tantum indeterminatè ad conjugium vel dotationem & damni compensationem obligatur, juxta dicta *Lib. 4. Tit. 1. n. 20.*

Rectè tamen hoc loco DD. notant 27. Primò, stupratorem, licet virginem, aut alias honestè viventem viduam à se corruptam ducere vel dotare in conscientia ante sententiam condemnatoriam non teneatur, ad compensationem tamen omnis damni stupro illati & reparabilis; ac proinde doti, quam à patre haberet, tantum addere teneri, quantum necessarium est, ut æquè honestum matrimonium inire, quam ante corruptionem, possit, Covarruvias *de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 8. n. 15.* & Lessius *cit. cap. 10. n. 11.* Secundò, eundem ad dotem ejusmodi mulieri, quam ducere non vult, præstandam obligari statim post condemnationem, non expectato tempore nuptiarum, ut ex *l. Unica §. 1. V. Sive maritum nolentes C. de Raptu virg.* colligit Haunold. *cit. Trañ. 2. n. 586.* & propterea eam ad mulieris sine nuptiis mortuæ infantem vel alios hæredes transmitti, ut ex Baiard. ad Clarum *§. Stuprum cit. n. 74. V. Sed ego vidi* desumit Haunold. *l. cit.* Tertio, stupratorem cum puella deflorata transigere posse, Clarus *§. fin. q. 58. n. 14.* & Haunold. *n. 597.* id quotidianà praxi receptum, asserens. Quarto, reos sive stu-

ptatores

pratores eorum iudice, tam Seculari quam Ecclesiastico, conuentos aliquando, fortassis ad petitionem corruptæ, aliud non exigentis, solum condemnari ad certam pecuniam in prolis ex stupro procreatæ alimenta impendendam, Haunold. n. 583.

29. Quintò præterea, eos plecti posse & passim consueuisse penâ carceris vel pecuniariâ: aliquando, si circumstantiâ, præfertim ob personæ violatâ conditionem, iterationem criminis &c. valde aggravantes accedant, ad relegationis cum fustigatione, & ad graviores pœnas procedi, Idem n. 595. Sextò demum, puellas in sui violationem consentientes ferè, sicut ob simplicem fornicationem, plecti consueuisse, Idem n. 596. observat.

30. Dubium quartò est, à quo alenda sit proles, ex stupro vel alio illegitimo concubitu procreata. Non quidem, si parentes super alimentis ei præbendis transegerint; hoc enim casu eorum conventionione standum est, arg. Reg. Contractus 85. in 6. Sed Jure communi, quò spectatò, eam primo triennio à matre, postea à patre alendam, tradit Glossa in c. fm. de Convers. infidel. V. Post triennium, his verbis,

*Mater alit puerum trimum, trimò-
que minorem,*

Majorem trimò pascere, patria erit.

Cum Glossa sentiunt Covarruvias p. 2. de Sponsal. cap. 8. §. 6. n. 13. Lessius cit. cap. 20. n. 42. Antonell. de Temp. Legali Lib. 2. cap. 58. n. 2. & aliis DD. congestis Barbosa in c. Cum haberet 5. §. de Eo, qui duxit in matr. in Select. n. 1. qui id desumunt ex c. cit. §. l. Nec filium 9. C. de Patria potest. quorum textuum priori liberis spuris (Sermo enim est de procreatis ex adulterio) necessaria à parente utroque secundum facultates: posteriori, trimo alimenta à patre ministranda dicuntur. Unde cit. DD. inferunt, ea nondum tri-

mo, sive ante triennium impletum vel saltem inchoatum, præstanda à matre.

At revera hoc inde legitime non inferitur; quia Imprimis c. cit. solummodo corrigitur Jus Civile, quò filiis spuris adimebantur alimenta paterna, Aub. Ex complexu C. de Incest. nupt. Non quidem, quando sine his vita conservari non potest: sed, ut Molina Tract. 2. disp. 168. pr. observat, cum ali possunt aliunde: quæ Clemens III. æquitatem naturalem respiciens, etiam hoc casu ipsis à parentibus juxta facultates præbenda, statuit, c. Cum haberet cit. Deinde; quia ex l. Nec filium cit. plus non eruitur, quàm illegitimo nondum trimo à matre præstanda alimenta lactis, ut præter alios docent cit. Barbosa n. 2. & Bruneman, in l. cit. n. 6. partim; quod infantes à mamma depelli ante triennium non solerent, ut in l. cit. V. Trimò Gothofredus adnotavit: partim verò; quòd l. Nec filium cit. posita sit sub titulo de Patria potestate, in qua spurii non sunt, l. Cum legitime 19. §. l. Lex Natura 24. ff. de Statu hom. & argumentò à contrario ductò ex pr. Instit. de Patria potest. §. l. Item 3. ff. de His, qui sui vel alieni &c. & propterea l. Nec filium cit. sermo sit de filio legitimo: in quem nondum natum, cum necessarios sumptus facere teneatur pater, l. Curator 5. ff. de Venire in poss. nunt. utique etiam tenebitur ad ministranda, quæ ipsi in lucem edito necessaria sunt, præter lac maternum, v.g. vestitum, lectum, habitationem. Cum ergo, quoad jus alimentorum à parentibus accipiendorum, legitimis à Jure Canonico quodammodo æquentur illegitimi, ad hos primò trienniò alendos mater tenebitur solum quoad lac: ad reliquas autem expensas verius etiam tunc obligabitur pater, prout etiam sentit cit. Molina n. 11. & à celeberrimis CT. is pronuntiatum, ait Colerus apud Berlichium

B b

chium

chium *Conclus. Practic. p. 4. concl. 38. num. 43.*

33. Casu autem, quò mater, ob paupertatem, infirmitatem vel etiam nobilitatem, lactandæ proli vacare vel omnino, vel ob patriæ consuetudinem sine dedecore non posset, nutricem patris impensis conducendam, docet *Surdus Tract. de Alimentis Tit. 1. q. 14. n. 8.* Si verò pater prolem alere ob paupertatem non posset, ad alimenta ei, perinde ut proli vulgò quæsita, *l. Si quis §. 4. ff. de Agnosc. lib. præstanda matrem* (quæ juxta *c. Cum haberet cit. prolem cum patre alere tenetur, ordine non conjunctivò, sed successivò, hoc est, illò deficiente, secundùm Barbosam in c. Cum haberet cit. n. 7.*) & in istius defectum avos obligari, juxta *l. cit. §. l. Non quem admodum §. ff. eadem Rubr. docent cit. Barbofa & Molina n. 13.*

34. Dubium quintò est de prole illegitima, cujus, quòd ex duobus alter, certum, dubium autem est, uter eorum sit parens, Et casu quidem, quò inter istorum unum & proli matrem conjugium consistere: inter hanc autem & alterum, ob intercedens inter eos impedimentum dirimens, id consistere non posset, alimenta proli à priori, sive à matrimonio non impedito solo deberi, *arg. l. Filium 6. ff. de Hæ, qui sui vel alien. jur. cum Sylvestro V. Filius q. 12. Covatrivia cap. 8. cit. §. 3. n. 8.* & aliis docet *Vasquez 1. 2. disp. 66. n. 44.* quòd in dubio proles potius naturalis, quam spuria, quia id ipsi honestius & favorabilis est; ac proinde ex priori suscepta præsumatur.

35. Casu autem, quò matrimonium consistere potuit cum utroque, alimenta proli præstandi debitum inter ipsos dividendum, ferè sicut res, quam ad duorum alterum spectare quis certò scit, ad quem autem, dubius est, inter utrum-

que est dividenda, ex communi aliorum sensu tradit *Idem Vasquez n. 47.*

ARTICULUS III.

De Adulterio.

SUMMARIUM.

36. Hoc violatione thori conjugalis committitur,
37. A marito cum soluta:
38. Ab alio etiam viro cum alterius sponsa de presenti,
39. Non etiam cum sponsa de futuro, peccante,
40. Pœna adulterij Criminales Divinò, Ecclesiasticò,
41. Et Imperiali Jure constituta.
42. Leges adulterij eadem aliquando permittunt:
44. Sed à sacris Canonibus sunt correctæ.
45. Adulterij pœna Civiles:
46. Quæ, cum uterque conjux reus est, locum non habent:
47. Etsi hoc etiam casu Criminalibus sit locus.
48. Uxor maritum ad alterum convenit actione injuriarum:
49. Non accusat criminaliter,
50. Etve similis criminis opponit exceptionem.
51. Hanc tamen ei sacri Canones permittunt.
52. Adulterium probatur præsumptionibus violentis,
53. Tales in specie referuntur,
54. Et judicis prudentia committuntur.
55. Adulterium, cum ad divortium, Ecclesiastici:

56. Cum

35. *Cum ad penam Sanguinis, Seculari:*

37. *Cum ad mitiorem penam agitur, Mixti fori crimen est.*

36. **A**dulterii nomine latius accepto venit quacunque conjunctio carnalis, non conjugalis, *can. Nemo 32. q. 4.* strictè & proprie sumptum est Violatio thori alieni, Sylvester *V. Adulterium, n. 1.* sive, ut ad mentem S. Augustini de *Bono conjugij cap. 4.* alii loquuntur, est Violatio fidei & thori conjugalis; malicia enim hujus criminis in eo sita est; quod adulter contra fidem conjugii datam, §. *Cum ergo, post can. Illa, 32. q. 5.* & Divinam institutionem, *Erant duo in carne una, Genes. cap. 2. V. 24.* se separet à carne, cui ipsum conjunxit Deus, *Matth. cap. 19. v. 6.* & conjugatur atque adhæreat carni alienæ, *1. Corinth. cap. 6. V. 15.* Unde merito sacri Canones pro adulterio habent conjunctionem, non solum viri ligati aut soluti cum conjugata, sed etiam conjugati cum soluta, §. *Cum ergo cit. & can. Puto q. 5. cit. can. Non Mœchaberis 32. q. 6. & c. Transmissa 4. de Eo, qui cognovit confang.* Ratio est; quia eadem in marito, quæ in uxore castimonia exigitur, *can. Nemo cit. can. 1. & c. 32. q. 6.* & vir meretrici adhærens fidem conjugalem non minus violat, quàm uxor, commercium habens cum alio viro, teste Apotolo *1. cit. Gonzalez in c. Si vir 3. n. 5.*

Neque contrarium persuadendi vim habet; quod Civili Jure carnalis conjunctio viri conjugati cum soluta adulterium non censetur, vel potius obnoxia non sit pœnis criminis adulterii, *l. 1. ff. ad L. Jul. de Adul.* quia Jus hoc in adulterio potissimum considerat & plectit feminis confusionem, & ab ista provenientem incertitudinem, prolis *l. Inter liberas*

6. §. 1. & l. Stuprum 34. ff. ad L. Jul. cit. quam, sicut soluti, sic & conjugati cum soluta conjunctio non inducit, *Zacius in ff. ad L. cit. n. 2.*

Dubium hœc locò movetur, an adulterium committatur cum aliena sponsa. Certum est, committi cum sponsa de præsentibus; quia hæc, etiam ante matrimonii consumationem, est vera conjux, *Nuptias enim & conjuges non concubitus, sed consensu facit, l. Nuptias 30. ff. de R. J.* Glossa in *c. Discretionem 6. V. Reatum, de Eo, qui cognovit &c.* Idem de sponsa de futuro, ut de adulterio accusari valeat, cum Glossa in *c. Quemadmodum 25. V. Sponsam, de Jurejurando* tradit Panormit. in *c. Discretionem cit. n. 4.* & Alexand. de Nevo *ibid. n. 11.* nisi textu *l. Si uxor 13. §. 3. ff. ad L. Jul. cit.* quò hoc idem (scilicet crimen adulterii) etiam in sponsa vindicandum asseritur; quòd neque matrimonium neque spem matrimonii violare sit permillum. Consonat *l. Propter 7. c. eadem Rubric.*

Sed melius Clarus §. *Adulterium, n. 39.* Covarruvias *p. 1. de Sponsal. cap. 1. n. 8* Sanchez *Lib. 1. de Matrim. disp. 2. n. 8* & passim alii TT. & Canonistæ cum ejusmodi sponsa adulterium proprie committi, negant propter textum *l. Inter 6. §. 1. ff. ad L. cit. ibi, Sed proprie adulterium in nupta committitur:* nupta autem non est sponsa de futuro. Ratio perspicua est; quia adulterium est violatio thori alieni sive conjugalis, §. *Ergo cit.* per concubitum autem cum hujusmodi sponsa alienus & conjugalis thorus non violatur, hœc ipsò; quòd ad sponsæ thorum accedendi jus sponso non competat ante consentum in matrimonium, præstitum per verba de præsentibus. Unde *l. Si uxor cit.* corruptio sponsæ vindicari permittitur tanquam crimen, quòd, sive adulterium, sive stuprum sit, quòd eò locò non deciditur,

ditur, gravis & adulterio propinqua injuria inferitur sponso, *l. Item 15. §. 24. ff. de Injuriis.*

40. Pœna adulterii Jure Divinò veteris Testamenti fuit mors, Levitici *cap. 20. v. 10. Deuter. cap. 22. v. 22. & Daniel. cap. 13. v. 41.* & quidem lapidatio, ut constat ex Joan. *cap. 8. v. 5.* cui in nova seu Gratia Lege substituta aliæ sunt utroque Jure.

41. Et Ecclesiasticò quidem laici, tam mares quàm fœminæ, in adulterio persistentes excommunicationis censura per sententiam infligenda obnoxii sunt, *c. Intelleximus 6.* imò fœminæ, si mariti eas nollent recipere, ad agendam pœnitentiam perpetuò in Monasterium detrudebantur, *c. Gaudemus 19. de Convers. conjug.* ubi approbata videtur eadem pœna, in easdem constituta *Novell. 134. cap. 10. Clarus §. Adulterium cit. n. 7. & Farinacius Prax. Criminal. q. 141. à n. 23.* Hodiè tamen adulterorum laicorum punitio passim relinquitur Curia seculari. Clericus, adulterium in judicio confessus aut de eo legitime convictus, ab officio & beneficio deponendus, atque insuper in Monasterium ad agendam pœnitentiam est detrudendus, *can. Si quis clericus 10. & can. Romanus 11. dist. 81.* aut carceris aliæve, ejusmodi detractioni succedaneæ, vel etiam pecuniariâ pœnâ plectendus. De illo autem crimine suspecto & infamato indicienda est purgatio Canonica: in qua deficiens ab officio est suspendendus, *c. Significasti 5. in fine, Farinac. q. cit. n. 31.* Præterea clericum, cum uxore, matre, filia aut sorore in adulterio vel stupro deprehensum, in continenti (non ex intervallo) percussus non incurrit excommunicationem *can. Si quis suadente, 17. q. 4. secundum c. Si verò 3. de Sent. excom.* Navarrus *Manual. cap. 27. n. 84.* Covarruvias *cit. p. 2. cap. 8. §. 7. n. 12.* & Barbosa *in c. cit. n. 6.* eam reddentes ratio-

nem; quòd talis percussio, licet peccati nota sit, justi tamen doloris vehementiâ impellente potius, quàm suadente diabolo fieri, præsumatur.

Jure demum Imperiali à Constantino Imp. in adulteros pœna gladii decreta est, *l. Quamvis 30. C. ad L. Jul. de Adul.* quæ Constitutione Pœnali Caroli V. eandem adulteris, tam maribus quàm fœminis, cum solutis aut ligatis peccantibus indistinctè infligente confirmatur *art. 120.* Ab istorum tamen Jurium rigore usu recessum est in perisque provinciis, in quibus adulteria relegatione sive exiliò, statione ante fores templi cum accensa face tribus diebus Dominicis aut Festis, aut aliâ arbitrariâ, aliquando etiam pecuniariâ pœnâ plectuntur, testibus Claro, id maxime & merito dolente *§. cit. n. 8. in fine, Farinac. q. cit. num. 74. Harprecht in §. Item lex Julia 4. Instit. de Publ. Jud. n. 78.*

Dubium hoc locò moveri solet de legibus Civilibus, quibus imprimis pater filiam, quam in potestate habet, & cum ea adulterum in flagitio deprehensum *l. Patri 20. & l. Quod ait 23. ff. ad L. Jul. cit.* deinde maritus, non quidem ipsam uxorem, sed adulterum cum ea in adulterio domi suæ inventum, si esset persona vilis, occidere poterat, *l. Marito 24. ff. eadem Rubr. & demum eisdem, de adulterio cum uxore sua suspectum, si post factam in scriptis trinam denuntiationem, ne cum uxore versaretur, eum cum ista in loco ad suspicionem turpitudinis apto, puta, in domo adulteri vel uxoris, vel in popinis aut suburbanis deprehensum perimendi potestas fiebat, *Aurb. Si quis ei C. ad L. cit. & Novell. 117. cap. 15. pr.**

Quas leges Imperiales, licet aliqui defendant, vel; quòd iis pater aut maritus in ea causa publici ministri sint constituti, ut existimant *Clarus V. Homicidium, n.*

dium, n. 5. & Gomez ad l. Tauri 82. n. 52. vel potius; quòd legibus illis, non ipsum homicidium approbatum, sed solummodo intuitu iusti doloris, quò ad occidendum poterant moveri, eis remissa sint poenae homicidii voluntarii & dolò commissi, Lege Cornelia constituta, ut ex TT. communi sententia aliqui volunt apud Haunold. Tom. 1. de l. & l. Tract. 2. n. 716. eas tamen à sacris Canonibus correctas, exploratum est ex rescripto Nicolai I. can. Inter hæc 6. & sententia S. Augustini Lib. 2. de Adulterio. conjug. cap. 15. can. Si quod verius, 33. q. 2. relatis. Quod sanctè pièque factum est; quia leges illæ nimiam licentiam præbebant, reum non auditum & non examinatà causâ interficiendi in statu, in quo de salute æterna maximè periclitabatur: quò modò perpetrata cædes à gravi culpa nequit excusari, ut cum S. Thoma in 4. dist. 37. q. 2. art. 1. Covarruvia cit. p. 2. cap. & §. 7. n. 15. Molina Tract. 3. de l. & l. disp. 99. tota aliisque TT. & ICT. is tradunt duo Barbose Petrus in l. Si ab hostibus 10. §. fin. ff. Solutio Matr. à n. 43. Augustinus verò in can. Inter cit. n. 1.

45. Præter Criminales hæctenus relatas duplicem poenam Civilem adulteri incurunt. Prior est divortium, sive separatio ab adultero, quoad thorum & cohabitationem, ad quam innocens conjux agere, c. Tua §. de Procurat. c. Ex literis §. de Divortiiis & Novel. 117. cap. 8. imò, si adulterium notorium est, ab illo recedere verisimiliùs propriâ auctoritate potest, ut colligitur ex c. Significasti 4. in fine, de Divortiiis & ibi dictum est à n. 76. Altera, amissio dotis, quam uxor, aut donationis propter nuptias, quam maritus adulteri incurunt ita, ut conjugi innocenti restituenda sit cù omnibus, quæ nocenti attulit, l. Ex consen-

su 8. C. de Repudiis, Novell. cit. cap. 8. V. de Adulterio, & c. Plerumq; 4. de Donat. inter vir & uxor. ad quam Rubricam hæc de re ex instituto est actum. Innocenti, inquam; quia, si adulterii reus est uterque, crimina quoad poenas Civiles compensari, patet ex c. Intelleximus 6. c. fin. hæc Rubr. l. Viro 36. junctâ Glosâ ff. Solutio matrim. & traditis ad Rubr. cit. n. 51.

47. Aliter res se habet quoad accusationem & poenas Criminales; quibus etiam, cùm adulterii reus uterque est, locum esse, communis sensus DD. & ratio clara est partim; quòd hæc spectent satisfactionem Reipublicæ, quæ secundò adulterio gravius læditur: tantùm abest, ut primò illata injuria compensetur. Unde meritò exigit; ut neutrius adulterium maneat impunitum, c. Ut fama 35. de Sent. excom. & l. Ita vulneratus 51. §. 2. V. Cùm nec, ff. ad L. Aquil. partim verò; quia, quoad accusationem Criminalem, conjugum adulteria æqualia non sunt, & ut Tiraquellus Connub. l. 1. gloss. & p. 1. n. 44. latè ostendit, multò quàm in viro detestabilior impudicitia est in fœmina; propter incertitudinem prolis & alieni partus suppositionem, ex ipsius adulterio facilè & sæpe proveniente. Quæ causa est, cur Jure Civili vir quidem ad fœminæ: at non vicissim ista ad illius accusationem, poenam Legalem spectantem, admittatur, l. 1. ff. ad L. Jul. cit. Hoc tamen discrimen inter uxorem & maritum non agnoscunt sacri Canones: secundum quos vir & uxor in adulterio deprehensi ad imparia, sicut quoad debitum reddendum & divortium, sic etiam quoad accusationem & poenam legalem non judicantur, can. Si quis 4. junctâ Glosa V. Ad imparia 32. q. 1. & can. fin. 32. q. cit. Quantumvis, ut hoc textu asseritur, viros suos de adul-

terio non facile foeminae accusent, Farinac. cit. q. 141. n. 105. & Barbosa in can. fin. cit. n. 1. quarum Ecclesiasticarum sanctionum dispositionem, teste Wesenbecio in Paratit. ff. ad L. Jul. cit. n. 12. sequuntur Ordinationes Imperiales.

48. Dubium hic primò est, an mariti adulterium accusare valeat uxor. Actionem ad divortium & ad lucrum dotis vel propter nuptias donationis, conjugum utrique permissam, res est explorata. Actionem etiam injuriarum, sicut marito, sic etiam uxori competere, cum Baldo in l. 1. C. ad L. Jul. cit. n. 3. observant Farinac. q. 141. n. 106. & Bruneman. in l. 1. cit. n. 2. quòd ex viri adulterio ipsa quoque injuriam patiat. Unde

49. Dubitationi locus tantum est de accusatione ad poenam adulterii Legalem: de qua dubitandi ratio est; quòd adulterii crimen in utroque sexu sit damnatum, can. fin. 32. q. 5. Sed, ut hoc ita sit, sanctionibus tamen Legalibus proditum est discrimen; ut, licet adulteræ uxoris accusatio ante omnes alios, ipsum etiam ejus patrem & cognatos, adstruatur marito, l. Ex lege 2. §. 8. ff. ad L. cit. quòd justus dolor eum præ aliis impellat: & quia publicis criminibus connumeratur, l. 1. ff. §. Item lex 4. Instit. de Publ. judic. propinquis ac necessariis personis cessantibus, aliis de populo permisa sit, l. Maritus 15. §. 6. ff. ad L. cit. & l. Palam. 43. §. 10. ff. de Ritu nupt. uxori tamen mariti sui, sive ad ligatam accedentis, accusatio denegatur l. 1. C. ad l. cit. ubi Glossa V. Violatio, Hostiens. in Summa, hæc Rubr. n. 1. Covarruvias p. 2. de Sponsal. cap. 7. §. 6. n. 5. & cit. Farinac. n. 104. cum; quòd marito tanquam capiti suo majorem reverentiam debeat uxor, quam ipsi maritus: tum verò; quòd adulterium in uxore ob sololis incertitudinem, quam in-

ducit, & falsi partus suppositionem multò gravius jure reputetur, quam in marito, Tiraquell. Connub. l. 1. gloss. §. p. 1. n. 44.

50. Quin uxori, adulterii criminaliter accusatæ, similis criminis exceptionem legibus denegatam, cum Covarruvia l. cit. Soto in 4. dist. 37. q. unica, art. 3. & aliis censet Sanchez Lib. 10. de Matrim. disp. 8. n. 34. quòd, cum in judicio Criminali ad paria non reputentur, similis adulterii exceptione uxor non adjuvetur.

51. At, licet Civili hoc ita sit, Canonicum tamen Jus hoc inter conjuges discrimen non agnoscit: sed ad conjugis adulteri accusationem uxorem quoque admittit, can. Quidquid, 32. q. 5. ut observat Speculator Tit. de Adulterio, n. 5. quòd hoc Jure adulterium æquè in utroque conjugis sit damnatum, c. fin. q. 5. cit. & can. Si quis uxorem, 32. q. 1. ubi Glossa V. Ad imparia, eos in adulterio deprehensos ad imparia non judicari, ait, quoad debitum reddendum, quoad divortium, quoad accusationem, Quia in re sacros Canones imitari non dedignatus est Carolus V. Constitut. Panali, art. 120. mariti adulteri accusationem uxori diserte permittens, Wesenbec. in ff. ad L. Jul. cit. n. 12. & Bruneman. in l. 1. cit. n. 4.

52. Dubium secundò est de adulterii probatione, ad rei condemnationem sufficientem. Ratio de ea dubitandi est; quòd condemnandus nemo sit; nisi crimen in judicio confessus, de eòve legitime & luce clarioribus probationibus fuerit convictus, can. 1. can. Judex 2. can. Nulli 18. V. Nos verò, 2. q. 1. & l. fin. C. de Probat. de adulterii autem crimine, licet frequenter committatur, nihilominus, quòd locis secretis & arbitris, qui de eo testificari possent, remotis, solet committi, & literis non committi, judicialis &

his & legitima claraque probatio, extracatum, quod marito ad coitum omnino impotente reddito, vel per annum absente uxor prolem suscepit, haberi non possit.

Sed rationi huic præponderat *c. Marius 4.* relatum decretum Concilii Parisiensis, vel potius Alexandri III. ad Episcopum Parisiensem rescriptum, Gonzalez in *c. cit. n. 1.* cuius tenor est, *Marius etiam ex suspitione uxores accusare, permittitur.* Ex suspitione, inquit Papa, siue præsumptione: non qualicumque, sed violenta, Glossa *V. cit.* & vehementissime urgente; quod ex indiciis siue actibus & circumstantiis delicto proximis, cum eoque ordinariè semper conjunctis sit orta, *arg. c. Literis 12. de Præsumpt. ut ad hanc Rubric.* dictum est *n. 24.* Ratio Rescripti est; quod, cum adulterium perpetretur clam, ejusque rei per testes & instrumenta nequeant convinci, necessariò sicut alia, quæ difficilis sunt probationis, sic etiam ipsum conjecturis & præsumptionibus sit probandum: & ne aliquem innocentem condemnari, contingat, in sufficientis probationis vim non admittendæ quævis, sed violentæ & vehementissime urgentes præsumptiones exigendæ; cum, si tales non sint, non inducant criminis probationem plenam & certitudinem moralem, ad rei condemnationem necessariam, per textum *citt. & l. Qui sententiam 16. C. de Pœnis*, Berouius in *Rubr. de Judiciis, n. 20.* in fine, Sylvester *V. Adulterium n. 9.* Mascard. *de Probat. concl. 57. n. 6.* & Sanchez *Lib. 10. cit. disp. 12. n. 41.*

§3. In specie hujusmodi præsumptiones sunt Primò relata *c. Literis cit.* ubi laudatus Alexander Papa violentam & certam suspitionem siue præsumptionem fornicationis esse pronuntiavit; quod vir solus cum sola, nudus cum nuda, in eo-

dem lecto jacere visus sit, multis locis secretis & latebris ad hoc commodis, & horis electis; quia his indiciis fortior præsumptio & adulterii probatio haberi vix potest, Panormit. in *c. cit. n. 3.* Navarrus in *Rubr. de Judiciis n. 10. & cit. Sanchez n. 45.*

Secundò, si accusati de adulterio, postquam consanguinitatis obtentu crimini fidem derogandò accusationem depulerunt, eò, quem alter habuit, conjugem mortuò, matrimonium contrahant; à talibus enim adulterium perpetratum violenta juris & de jure præsumptio est, *l. Si quis 32. C. ad L. Jul. cit. Speculat. de Præsumpt. §. 2. n. 4.* & Menoch. *Lib. 5. præsumpt. 41. n. 5.*

Tertiò, simili juris & de jure præsumptione de adulterio convictus censetur, cui de eo crimine suspecto maritus ter in scriptis & testibus præsentibus denunciavit; ut à colloquio & conversatione cum uxore sua abstineat; si, insuper habità tali denuntiatione, in loco suspecto & ad adulterium idoneo cum ea conversari non desistat, *Auth. Si quis ei C. ad L. cit. citt. Speculat. n. 4.* & Menoch. *n. 9.*

Quartò, pari modò adulterium legitime præsumi, aliqui existimant, si mulierem à marito proprio discedentem viro de incontinentia suspecto aut diffamato adherere, eique cohabitare consuet; si ea, invitò aut incitò marito, clam accedat & pernoctet in domo viri suspecti: si, absente aut ignorante marito, ab ejusmodi viris aut adolescentibus clam & noctu frequentetur: si inhonestam cum alio consuetudinem jactet, aut literæ amatoricæ ejusmodi consuetudinem confidentes fuerint repertæ &c. Sed hujusmodi extrajudicialis confessio & prædicti iisque similes actus, licet adulterii magnam faciant præsumptionem, id tamen ad pœ-

54.

ad poenam ordinariam infligendam non satis probant, nisi alia adminicula accedant: quæ ipsa quam probandi vim in casibus particularibus habeant, relinquendum est prudentiæ & arbitrio iudicis: quem Wesenbecius in ff. ad L. cit. n. 17. & aliis DD. relatis Bruneman. in Auth. cit. n. 3. ferè consulto facturum existimant, si reo, crimen in iudicio non confesso, Ordinariam poenam non imponat.

55. Dubium tertio est de criminis adulterii iudice. Qua in re interest, an de eo civiliter, vel criminaliter agatur; cum, si de eo civiliter ad divortium & separationem conjugum quoad thorum & cohabitationem agatur, competentem ejus iudicem solum Ecclesiasticum esse, ex c. 1. Ut lite non contest. c. Tus 5. V. Si verò, de Procurat. c. Porro 3. & c. Significasti 4. de Divortiiis planum & praxi receptum sit. Ratio est; quia, cum fidelium matrimonium unum ex septem novæ Legis Sacramentis, & quid spirituale sit, de orta ex eo vel sublata ad communem thorum & cohabitationem obligatione cognoscere ad iudicem Ecclesiasticum pertinebit, c. Decernimus 2. de Judiciis c. Tuam 3. de Ord. cognit. c. Si iudex 12. ibi Quia de re Ecclesiastica & spirituali est, de Sent. excom. in 6. Alexand. de Nevo in c. Plerumque 4. de Donat. inter vir. & uxor. Clarus §. fin. q. 37. n. 3. Covarruvias p. 2. de Sponsal. cap. §. 7. n. 14. Petr. Barbosa in l. Solutio 2. ff. Solutio matrim. p. 1. pr. n. 140. & Sanchez Lib. 10. disp. 8. n. 15. ubi hic Doctor rectè observat, ab eodem iudice cognosci etiam posse de causa dotis, donationis propter nuptias & alimentorum, in causam divortii incidente; quòd id c. De prudentia 3. de Donat. inter vir. & uxor. aperte sit decisum: quantumvis aliàs similium causarum principaliter in

iudicium deductarum cognitio propria sit fori Secularis, ut cit. Barbosa à n. 44. late ostendit. Ratio est; quia iudex respectu causæ, quando principaliter in iudicium deducitur, incompetens, cognoscere ac pronuntiare de ea valet, quando in iudicium venit incidenter, l. Quæstiones 3. de Judiciis & l. 1. c. de Ord. cognit. dummodo jurisdictionis, quam causa incidens exposcit, incapax non sit, si enim jurisdictionis respectu incidentis, ut Secularis respectu spiritualis causæ capax non esset, incidens causa ad competentem & Ecclesiasticum iudicem remittenda esset, arg. c. Tuam cit. ut Lib. 2. t. 12. n. 14. est dictum.

Quando autem de adulterio criminaliter ad poenam legalem reo infligendam agitur, iudicem Ecclesiasticum se intromittere non posse, exploratum est; quòd sanguinis causas tractare, in iis sententiam condemnatoriam dicere ac proferre, clericis interdictum sit, c. Clericis 5. & c. Sententiam 9. Ne clerici vel Monach. Ad Legalem, inquam, seu Capitalem, l. Quamvis 30. c. ad L. cit. in adulteros constitutam; quia ad alias poenas infligendas adversus adulterum laicum procedi à iudice etiam Ecclesiastico posse, liquet ex c. 1. de Offic. Ordin. cum enim adulterium injuriam inferat Sacramento; atque idcirco Sacrilegium quoddam sit & nominetur, l. Quamvis cit. in fine, crimen fori Mixti & obnoxium est punitioni utriusque, tam Ecclesiastici quàm Secularis, iudicis, ut, cum ad poenam capitali minorem agitur, inter eos locus sit præventioni, arg. c. Cum sit 8. de Foro compet. Panormit. in c. Tus cit. n. 6. Clarus §. fin. q. 37. n. 3. Covarruvias cit. cap. 7. §. 7. n. 20. Barbosa pr. cit. n. 139. Henriquez Lib. 11. cap. 17. n. 1. lit. G. & Sanchez n. 15.

ARTICULUS IV.

De crimine Incestus,

SUMMARIUM.

58. *Iste committitur cum consanguinea vel affine:*
 59. *Non etiam cum consanguinea sponsa, nondum cognita:*
 60. *Neque cum cognata Legali vel Spirituali:*
 61. *Neque cum carnali, quinto gradu conjuncta &c.*
 62. *Pane incestus à linea Recta,*
 63. *Et Collateralis consanguineis commissi:*
 64. *Et ab his initarum nuptiarum, Civili,*
 65. *Et canonicò jure constituta.*

58. **I**ncestus est Coitus sive concubitus inter personas consanguineas vel affines, Jure prohibitas contrahere matrimonium, §. *Cum ergo* post *can. Lex illa*, 36. q. 1. Tholosan. *Lib. 36. Syntagmat. cap. 7. n. 1.* & Baiard. *ad Clarum* §. *Incestus* n. 1. quòd aliquando sub pretextu & colore matrimonii, incestuosas nuptias de facto contrahendò, aliquando sine hujusmodi nuptiarum attentatione fieri solet, ut notat Farinac. *Prax. Criminal. q. 149. n. 6.* Dico, *Inter consanguineos & affines Jure prohibitos*, subintellige, propriè dictos & quartò vel proximiori gradu conjunctos, post Concilium Lateranense, c. *Non debet* 8. §. *Prohibitio, de Consang. & affinit.* relatum. Unde

59. Infertur, hoc Luxuriæ crimen propriè non committi; ac proinde non ordinariæ Incestus, sed mitiori, graviori tamen pœnæ quàm ob simplicem forni-

cationem, arbitriò judicis infligendæ, obnoxios esse Primò eum, qui carnaliter peccat, aut conjugium de facto contrahit cum consanguinea suæ sponsæ carnaliter non cognitæ; quia inter hanc & ipsam solum impropriè dicta & quædam quasi affinitas, scilicet publicæ Honestatis impedimentum intercedit, Covarruvias *de Sponsal. p. 2. cap. 6. §. 8. n. 4.* Secundò eum, qui carnaliter delinquit cum cognata Legali per adoptionem vel arrogationem; quia hæc ejus consanguinea propriè non est, Farinac. *q. cit. n. 46.* Tertio verius etiam eum, qui peccat cum cognata Spirituali ratione Sacramentorum Baptismi vel Confirmationis; licet carnale commercium cum tali ad verum incestum propius accedat, quàm admissum cum cognata Legali, Clarus §. *Incestus* n. 4. & Farinac. n. 50. Quartò hodie eum, qui carnaliter delinquit cum consanguinea collateralis vel affine, quinto vel ulteriori gradu conjuncta, arg. §. *Prohibitio cit.* licet antiquò Jure cum septimò gradu conjuncta peccandò incestus committeretur, arg. *can. De affinitate* 1. *can. De consanguinitate* 17. *Ec. 35. q. 2.* Farinac. n. 57. & 58. Quintò eum, qui cum duabus mulieribus tertio consanguinitatis gradu conjunctis, vg. cum duabus Titii proneptibus carnale commercium habet, saltem post decretum S. Synodi Tridentinæ, affinitatem ex copula farnicaria ortam & matrimonii dirimendi vim habentem ad secundum gradum restringentis, *Sess. 14. cap. 4. de Ref. Matrim.* Gutierrez *Q. Canon. Lib. 1. cap. 23. n. 3.* & Barbosa *in cit. cap. 4. n. 12.*

Porro Incestus crimen non minus, imò gravius adulteriò est, *can. Adulterii* 32. q. 7. *Et l. Si adulterium* 38. §. 3. *ff. ad L. Jul. de Adult.* præsertim, si committatur inter ascendentes ac descendentes; inter quos coitum, non homines

C c

duntaxat

duntaxat præditi ratione, sed & bruta animalia detestantur & averfantur, ut Aristoteles *Hist. Animal. Lib. 5.* Plinius *Hist. Natural. Lib. 8. cap. 32.* Boërius *Decis. 318. n. 2.* & alii ostendunt.

De ejus pœnis non convenit inter DD. quod *Ordinatione Caroli V. art. 117.* in eo observandum dicatur Jus Imperiale: isto autem certa pœna, quâ incestus coërceatur, expressa non reperitur: & quamvis frequentiori DD. calculo receptum sit, Jure Civili Incestui etiam simplici eandem, quæ adulterio, pœnam constitutam, *l. Si adulterium cit. pr. verbis Id enim remotò etiam adulterio eveniret*: hodie tamen simplicis, hoc est, sine conjugii velamine commissi incestus punitio ferè arbitraria, & pro varietate circumstantiarum varia est, *Zæsius in ff. ad L. Jul. cit. n. 65.*

Et primò quidem, si inter ascendentes ac descendentes, quorum coitus Nefarius appellari solet, perpetratus sit, mortis & ferè gladii pœna, sine ullo inter marem ac feminam discrimine, esse solet, *Hostiens. in Summa, hæc Rubr. n. 12.* *Menoch. de Arbitr. casu 501. à n. 1.* *Baiard. ad Clarum §. cit. n. 3.* *Farinac. q. cit. n. 14. §. 16.* & *Haunold. Tom. 6. de l. §. l. Trañt 2. n. 347.* Secundò, eadem pœnâ incestuosum concubitus inter collaterales primi gradus, sive fratrem ac sororem plectendum, volunt *citt. Menoch. Casu 502. à n. 14.* *Haunold. ibid. n. 348.* & docet praxis quarundam provinciarum. In aliis tamen eos fustigatos seu virgis caesos perpetuò relegari, asserunt *Carpzovius Pract. Criminal. q. 73. à n. 11.* & *Berlichius Practic. p. 4. concl. 33. n. 5. §. 12.* caterorum consanguineorum & affinium incestuosorum pœnas latè exequentes. Tertio, pœna incestus conjuncti cum adulterio non minor est, quam adulterii simplicis; ac pro-

inde, sicut hoc, sic etiam ille cum isto conjunctus gladii pœnâ coërceatur, *Clarus §. Incestus n. 2.* & *Haunold. l. cit. n. 345.* Quarto, ob incestuosas nuptias scienter initas personæ conditionis honestæ privatione dignitatis, confiscatione bonorum, liberis legitimis, si quos habent (secus fisco) applicandorum, exilio: & si personæ viles sint, etiam verberatione puniendæ sunt, *Aurb. Incestus 6. C. de Incest. nupt. cit. Farinac. à n. 122.* & *Haunold. n. 349.*

Jure Ecclesiastico laicus in incestu quocunque perseverans, donec satisfecerit, excommunicari jubetur *can. De iis, qui incesti 35. q. 2.* maritus autem cum uxoris consanguinea, & uxor cum mariti consanguineo incestum committens privatur duplici jure: unò exigendi debitum conjugale, *c. 1. c. Transmissa 4. de Eo, qui cognovit consang. alterò, matrimonium post sui conjugis obitum cum alia vel cum alio ineundi, c. 1. cit. can. Si quis cum matre &c. q. cit. quorum jurium, licet posterioris amissio consuetudine contraria sublata sit, prioris tamen privatio hodie quoque incurritur, juxta dicta *Lib. 4. Tit. 13. n. 15.**

Is autem, qui incestas nuptias scienter contrahere præsumit, excommunicationem Jure latam ipsò factò incurrit, *Clement. Unic. de Consang. & aff. præterquam, quòd matrimonium sit nullum, §. Prohibitio cit. & à conjugio cum alia licite contrahendo impediatur, can. Qui propinquam 4. q. 2. cit. Farinac. q. cit. n. 34. §. 142.* Clericum autem ob incestum, præsertim cum adulterio conjunctum, deponendum, & beneficio privandum, *arg. can. Si quis 10. cum seqq. dist. 81. & can. fin. 30. q. 1. Clarus §. cit. & aliis relatis, docet Farinac. n. 35.*

ARTICULUS V.

De Sacrilegio Carnali.

SUMMARIUM.

66. Crimen hoc committitur violatione personæ,
 67. Aut loci Deo consecrati:
 68. Præsertim peccato carnali commisso cum Moniali.
 69. Imò etiam cum, & ab aliis, Castitatis votò obstrictis:
 70. Etsi hi, ut Sacrilegi, puniri non soleant.
 71. Pœne corruptenti Monialem Civili,
 72. Et Canonico Jure statuta,
 73. Et ipsius quoque monialis corruptæ.
66. **S**acrilegium, prout species quædam est Luxuriæ, cum certo personarum genere consummata, satis congruè dici potest, Coitus cum persona Deo dicata per votum Continentiæ, Farinac. *Prax. Criminal. q. 146. n. 2.* & Pirrhing *ad hanc Rubr. n. 68.* Cum certo, inquam, genere personarum, propter actum carnalem inter solutas & ligatas etiam personas exercitum, & pollutionem sive humani feminis effusionem voluntariè procuratam in loco per consecrationem Deo dicato: quæ non minùs, quàm humani sanguinis violenta effusio decentiæ reverentiæque loco sacro debita graviter adversatur, etimque polluit; ut pro Divinorum celebratione indigeat reconciliatione, *can. Ecclesiis 3. dist. 68. can. Ecclesiis 20. dist. 1. de Consec. c. fin. de Consecrat. Eccles. & c. Unico, eadè Rubr. in 6.* De isto tamen Sacrilegio hoc loco sermo non est.
68. Ejus autem, quod Personæ viola-

tionem perpetratur, species certa est Fornicatio sive coitus cum Moniali, per Continentiæ solenne votum Deo consecrata, *can. Sciendum 27. q. 1. & l. Si quis 10. C. de Episc. & Cleric.* Quin Panormit. *in c. Monasteria 8. de Vita & honest. n. 9.* Decianus *Tract. Criminal. Lib. 6. cap. 20. n. 1.* & Farinac. *q. cit. n. 3.* Monialis violationem non Sacrilegii duntaxat, sed Adulterii quoque & Incestus rationem habere, ajunt; quòd committatur in sponsam Dei, qui pater noster est, *can. Sciendum cit. & can. Qui absulerit, 12. q. 2.*

Sicut à Moniali & cum ea, sic etiam ab & cum aliis personis Continentiæ, tam simplici quàm solenni, votò obstrictis commissa peccata Luxuriæ vera Sacrilegia esse, suadet ratio; quia etiam à talibus perpetrata ejusmodi peccata violatio sunt personæ Deo consecrata, in quo ejus, de quo sermo est, Sacrilegii malitia consistit; & propterea, quando ejusmodi persona votò, per sacri Ordinis susceptionem vel in approbata Religione editam professionem solemnizato obstricta, prolem suscipit, ea spuria est, juxta dicta *Lib. 4. tit. 17. n. 20.* Quin, si Religionis professione vel Episcopali dignitate conspicua sit, etiam adulterii habet rationem, propter spirituale matrimonium, quod inter Episcopum & Ecclesiam intercedit, *c. Inter corporalia 2. & c. fin. de Translat. Episc.* aut cum Christo contrahitur professione Religionis; cum post hanc editam matrimonium attentans & consummans bigamus evadat, *can. Quotquot 25. juncto can. Monacho 27. q. 1. Sanchez Lib. 7. de Matrim. disp. 85. n. 5. & Barbosa de Offic. Episc. alleg. 49. n. 25.*

Sed, licet hæc ratio in foro Conscientiæ interno, & quoad aliquos effectus etiam in externo Sacrilegium committi evincat, quando personarum fornicantium

S c a

nicantium

cantium altera votò simplici, aut saltem solenni ad continentiam est obligata; ac proinde etiam cum clericus, imò etiam laicus simplici Castitatis votò adstrictus, cum muliere soluta carnaliter commiscetur, ut docent Azor p. 3. *Instit. Lib. 3. cap. 4. q. 8. in fine* & Pirrhing *cit. n. 68. secuti* communem sententiam TT. qui sic delinquentes ad voti, tanquam speciem mutantem circumstantiam, in confessione explicationem obligant ex mente S. Concilii Trident. *Sess. 14. can. 5. de Sacram. Penit.* Licet, inquam, hoc ratio evincat, in Contentioso tamen Foro non laici tantùm, ejusmodi votò ligati, sed clerici etiam sacrò & sacerdotali Ordine initiati & Religionem professi cum muliere soluta concubitus simplex tantùm Fornicatio: Sacriligium autem censetur, vel potius à simplici fornicatione aliisque carnis vitis destinatis pœnis illud duntaxat Sacriligium coërcetur, quod, sive à Clerico, sive etiã à laico, committitur cum Moniali, Clarus §. *Fornicatio, n. 18.* & aliis relatis, Farinac. *cit. q. 146. n. 30. & 31.*

71. Cum ista ergo, sicut ne committeretur, Monasteriorum Clausura, ut vocamus, introducta aliisque salubriter excogitatis modis viri à Virginum aliarumque mulierum Deo sacratarum congressu, colloquiò & aspectu etiam remoti sunt, ita commissum detestabile Sacriligium severissimã animadversione utroque Jure coërcetur: & Civili quidem hujusmodi criminis rei capitali sive mortis pœnã plectendi sunt, sive cum Moniali matrimonium attentãrint, *l. Si quis §. C. de Episc. & cleric. sive aliã eam corruerint, Novell. 123. cap. 43.* ubi, illorum bona Monasterio, in quo corrupta Monialis degebat, applicanda, sancitur. Quorum sanctionum Imperialium dispositiones canonizatas, ex can.

Si quis rapuerit 27. q. 1. & can. Si quis non dicam 36. q. 2. desumi solet. Sed malè; cùm uterque textus ex Civili Jure in Decretum translatus sit à Gratiano, eis conferre non valente vim Juris Ecclesiastici: quam etiam neque à Constitutione Apostolica, neque à Concilii Generalis decreto, neque etiam moribus seu Curiarum praxi plenè sunt consecuti; cùm, licet ipsis proditam pœnam capitalem hodie observari tradant Menoch. *de Arbitr. jud. casu 389. n. 27.* Tamburin. *de Jure Abbatis, disp. 11. q. 2.* & Barbosa *in c. Sicut 2. de Privileg. n. 3.* bona tamen saltem, quando raptus aut violentia non intervenit, non Monasterio aut etiam fisco, sed delinquentis hæredibus hodie applicari consuevisse, juxta *Ausb. Bona damnatorum C. de Bonis proscript.* notat Farinacius *q. cit. n. 11.* Canonicò verò sacrilegus corruptor Monialis: si laicus, excommunicari; si clericus sit, non solum beneficiò privatus, sed ab Ordine quoque depositus, ad agendam pœnitentiam detrudi in Monasterium jubetur, *can. Si quis Episcopus 6. & can. Si qua monacharum 27. q. 1.* cùm; ut in eo reclusus à mundana societate & delinquendi occasionibus removeatur: tum verò; ut sub disciplinae Regulis & pœnitentiã operibus lugendò excessus sui veniam à Deo promereatur, *citt. Menochius n. 24. & Farinacius n. 26.*

Ipsæ autem Moniales, se violari passæ, ad agendam pœnitentiam in archius Monasterium cum rebus suis detrudi, *ejusdem Novell. cap. 43. & can. Si quis rapuerit, citt.* aut perpetuo carceri mancipari jubentur, *can. Impudicas n. can. Virgines 26. & can. Si qua monacharum 27. q. 1. citt. Menoch. n. 26. & Farinac. n. 12.*

ARTICULUS VI.

De crimine Sodomix.

SUMMARIUM.

74. *Ista committitur coitu ejusdem sexus personarum.*
 75. *Non solâ sui pollutione:*
 76. *Neque ullô coitu viri cum femina,*
 77. *Et hominis cum bruto animali:*
 78. *Neque etiam cum persona disparis cultus*
 79. *Vera Sodomia pœna Divinô,*
 80. *Et humanô, tam Imperiali,*
 81. *Quàm Ecclesiasticô jure prodita.*
74. **N**efandum hoc & monstrofa libidinis crimen, originem ac nomen à Sodomis trahit, Genes. cap. 19. v. 5. & propriè strictèque acceptum est Coitus contra naturam inter duos, non servatò debitò sexu: sicut contingit, quando cum mas aut femina cum femina concumbit, ut ex *V. cit. Scân. Usus 32. q. 7.* desumitur & tradit S. Thomas 2. 2. q. 154. art. 1. Ex qua ejus explicacione
75. Patet, quantumvis contra naturam, propriè tamen non Sodomiam, sed ei tantùm affinia crimina esse Primò peccatum Mollitici, quò homo voluntariè poluit se ipsum: quod, quia clanculum & secretò solet exerceri, ad forum contentiosum vix unquam solet deduci: cum autem deducitur, extraordinariâ v.g. relegationis aut fustigationis pœnâ coërcendum, censent Damhud. *Prax. Criminal. cap. 96. n. 6.* & Haunold, *Tom. 6. de J. & J. Tract. 2. n. 575.*
76. Secundò, concubitus maris cum femina, non servatò debitò vase; quia, licet non vas, sexus tamè debitò, contrà quàm in vera Sodomia solet, observatur, Sylvester

V. Luxuria, q. 5. & Azor p. 3. Instit. Moral. lib. 3. cap. 20. q. 1. qui propterea, crimen hoc mitiori quàm propriè distam Sodomiam pœnâ afficiendum, docet contra Covarruviam *de Sponsal. p. 2. cap. 7. §. 5. n. 7.* Clarum *Prax. Crim. §. Sodomia n. 2.* & Farinac. *Pract. Criminal. q. 148. n. 35.* id ordinariâ Sodomitarum & mortis pœnâ coërcendum, variarum provinciarum praxi allegatâ, asserentes.

Tertiò coitum hominis cum bruto animalis; quantumvis enim foedissimâ istius turpitudinis monstrum ad Sodomiam passim revocetur, istâque non minùs; imò magis abominandum, & nefandissimum crimen sit, propriè tamen Bestialitas vocatur, ejusque perpetrati rei verorum Sodomitarum instar *Ordinat. Carolinæ art. 116.* morte plectendi & comburendi dicuntur, secundùm receptam consuetudinem: quâ, licet aliquando vivi, frequentissimè tamen ad evitandum desperationis & interitùs animarum periculum priùs capite plexi cum bruto comburi solent, ad imitationem Legis Divinæ Veteris, pecus cum homine interfici præcipientis, *Levitici cap. 20. V. 15.* ne flagitii tam horrendi memoria & vestigium ullum inter homines extet, Clarus *§. Fornicatio, n. 27.* Farinac. *cit. q. 148. n. 46.* & Haunold. *Tom. 6. tract. 2. n. 576.*

Multò minùs, quàm tria hætenus recensita, Sodomiticum crimen est commercium carnale viri Christiani cum femina Judæa vel Pagana, aut hujusmodi viri cum femina Fideli. Quamvis enim propter irreverentiam, & Legi ac nomini Christiano illatam injuriam, delictum hoc graviori, quàm aliæ simplices fornicationes: & quando conjugii velamen intervenit, adulterii pœnâ plectendum sit, *l. Ne quis 6. C. de Judæis,* specie tamen à simplici Fornicatione non differt: & arbitriò judicis, mitiori tamen, quàm capitatis pœnâ

tis pœnâ id coërendum, cum Claro §. Fornicatio cit. n. 26. & Menochio de Arbitr. casu 290. n. 9. asserit cit. Farinac. q. 139. n. 3.

79. Propriè autem & strictè acceptum, sive inter ejusdem sexûs homines perpetratum Sodomix crimen, sicut ob suâ fecditatis enormitatem indignitatemque à Naturæ conditore Deo, ultricibus flammis de cœlo missis, subversione Pentapoleos, illiusque habitatorum interitu abolitum, Genes. cap. 19. V. 24. eoque per Moysen præcipiente, morte expiandum postea fuit, *Qui dormierit cum masculo coitu femineo, uterque operatus est nefas, morte moriantur*, Levitici cap. 20. V. 13. sic in Novo Testamento exquisitis supplicis est vindicatum.

80. Et Jure quidem Imperiali lex Julia à Constantino & Constante Impm. leges infurgere, armari Jura gladio ultore & infames, hoc est, nefandæ libidinis perpetratae reos, exquisitis pœnis subdi jubentibus, l. *Cum vir* 31. C. ad L. Jul. de Adult. & à Justiniano §. Item lex 4. Instir. de Publ. jud. & Novell. 77. cap. 1. §. 2. confirmata, consuetudine autem fere ubique receptâ sic exasperata est; ut hodie ejus criminis rei vivi, aut eorum saltem morte punitorum cadavera igne concrementur, teste cit. Farinacio cit. q. 148. n. 7. Quam Sodomitas comburendi consuetudinem Carolus V. Ordinat. Criminal. art. 116. voluit observari. Præterea ejusmodi criminosi etiam ante accusationem & condemnationem ipsò Jure sunt infames, per textum & Glossam in l. *Cum vir*. cit. V. Infames, rerumque suarum, fisco cedentium, dominiò ipsò Jure privantur, c. *Cum secundum* 19. de Hæreticis in 6. Glossa ibi, V. *Perdant*. Hanc tamen privationis pœnam non ubique usu receptam, notant cit. Clarus §. Sodomia, n. 6. & Farinac. man. 15.

Jure autem Ecclesiastico hujusmodi nefandi, Sodomitici, inquam, criminis rei laici, præterquam quòd, sicut ab adulteris, etiam ab ipsis divertere conjux innocens valeat, arg. can. Omnes 32. q. 7. & infames fiant arg. can. Infames 2. pr. 3. q. 7. à fidelium communione, donec condignam pœnitentiam egerint, penitus excludendi; si verò clerici sint, beneficiis privati & ab officio atque Ordine clericali depositi ad agendam pœnitentiam in arctum Monasterium sunt detrudendi, c. Clerici 4. de Excess. Prælat.

Demum Jure novissimò Constitutio- nis Pii V. quæ incipit *Horrendum*, editæ 3. Septemb. 1568. Clerici quicumque Sodomiam exercentes omni privilegio clericali, officio, dignitate & beneficio Ecclesiastico privati, & per judicem Ecclesiasticum degradati, tradendi sunt curiæ seu potestati Seculari; ut in ejusmodi criminis reos laicos lege constitutis pœnis afficiantur. Quibus tamen pœnis ut locus sit, Sodomiam non solum attentatam, sed consummatam: neque tantum semel iterumque commissam, sed frequentatam exigi, voluit Suarez de Censuris disp. 31. f. 4. n. 21. & aliis DD. relatis Barbolâ in c. Clerici cit. n. 7. & 8. Ea etiam non degradationis tantum & clericalium privilegiorum amissionis pœna, sed officii quoque dignitatis & beneficii Ecclesiastici privatio non incurritur ipsò facto; sed sententiam condemnatoriam, vel si ipsò facto contrahatur, criminis declaratoriam & ad ejus commissi diem retrahendam exposcit, ut cum cit. Suarez n. 22. observat. Quaranta V. Sodomia in Addit. l. 6. m. 5.

